Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

aliquid quod neque ante illic quisquam nec ipse umquam iusserat.
et non contra societatem civitatis eius obtemperatur immo
contra societatem non obtemperatur. generale quippe pac
tum est societatis humanae obedire regibus suis. quanto ma
gis deo regnatori universae creaturae suae ad ea quae ius
serit sine dubitatione serviendum est. Sicut enim in potes
tatibus societatis humanae maior potestas minori ad
obediendum praeponitur. ita deus omnibus. Item in facinoribus ubi
libido est nocendi sive per contumeliam sive per iniuriam.
et utrumque vel ulciscendi causa sicut inimico inimicus.
vel adipiscendi alicuius extra commodi sicut latro viatori.
vel evitandi mali sicut ei qui timetur. vel invidendo sicut feli
ciori miserior. aut in aliquo prosperatus ei quem sibi aequa
ri timet aut aequalem dolet. vel sola voluptate alieni ma
li sicut spectatores gladiatorum aut irrisores aut illusores
quorumlibet. Haec sunt capita iniquitatis quae pullulant prin
cipandi et spectandi et sentiendi libidine. aut una aut
duabus earum aut simul omnibus. et vivitur male adver
sus tria et septem psalterium decem cordarum decalogum
tuum deus altissime et dulcissime. Sed quae flagitia in te qui
non corrumperis. quae adversus te facinora cui noceri non
potest. Sed hoc vindicas quod in se homines perpetrant. quia
etiam cum in te peccant impie faciunt in animas suas. et
mentitur iniquitas sibi sive corrumpendo ac pervertendo
naturam suam quam tu fecisti et ordinasti. vel immoderate
utendo concessis rebus. vel in non concessa flagrando in eum usum
qui est contra naturam. aut rei tenentur animo et verbis saevien
tes adversus te et adversus stimulum calcitrantes. aut
cum disruptis limitibus humanae societatis laetantur